

cui literas committeretis. Quare certo consilio Ungarus¹⁸ et ego tabellarium nostris sumptibus isthuc mittere volumus, ut certi aliquid explorare de statu vestro et scholae possemus. Sed accidit, ut bonus quidam vir, civis Grymmensis, affinis Sixti Oelhafen, accesseret per nuntium Andream chirurgum¹⁹. Videtur enim mihi laborare hydrope. Hunc spero nobis allaturum a vobis literarum aliquid. Quare studio quo possumus maximo te oramus, ut nobis vel paucissimis rescribas. Caeterum civis, qui hunc misit tabellarium, quia audivit Andream chirurgum esse perdifficilem, valde cupit isthic esse aliquem, qui adiuvet, quo facilius persuadeatur homini, ut huc proficiscatur. Quare vel per Joannem tuum²⁰ aut per uxorem si chirurgum ad profectionem hortatus fueris, perquam gratam rem aegrotanti civi et mihi feceris. Nobis advenientibus is sua officia detulit, et locaturus erat elegans vaporarium vili pretio, sed Gengebachius, cum nollet nos habitare in publico diversorio propter metum contagii, in suas aedes recepit. De mercede nihil est quod dubitet chirurgus, solvetur ei liberaliter, certo scio. Nunc nova quaedam accipe, si modo tibi non ante multas septimanas fuerunt audita. Mercatores aliquot Grymmenses ante biduum acceperunt literas a sociis Antwerpianis, quibus omnibus communiter haec pro novis scribebantur Caesaris adventum in Germaniam in Belgico expectari et Ducis Juliacensis sororem esse iam desponsam Regi Anglicano nuptiasque brevi tandem fore. Neutrum est a quoquam hic creditum. Sed heri adfuit quidam nobilis ex aula Ducis Saxoniae Electoris apud Gengebachium, qui rumorem de nuptiis confirmavit eiusque rei certum signum dixit, quod sciret petitum ab electore, ut suos tubicines et quicquid haberet excellentium musicorum mitteret ad Juliacensem. Sed ne sic quidem potuimus adduci, hoc ut ita esse crederemus. Cui enim videretur verisimile datum iri ducis tam locupletis sororem regi illi, qui funestas et detestabiles nuptias aliquoties fecisset? Quare hospes noster Gengebachius et ego ita diligenter a te petimus, ut maiori studio magisque ex animo non possimus, ut, si per occupationes tuas licebit, pauca de his rebus Anglicanis, quae scies, significes. Nos mirari, hoc si ita esset, satis non possemus neque coniecere, quis harum nuptiarum potuerit esse conciliator aut suasor aut quid spectaverit et Rex et Juliacensis domus facto hoc coniugio. Frustra enim et temere fecisse utrumque nimium est dementis credere, Itaque valde cupimus tuam hac de re audire sententiam. Rumor de adventu Caesaris neminem movet. Sed tamen quicquid etiam sit necesse est esse aliquid, quod rursus animum addat episcopis, qui ut iam mitiores videbantur incipiant de integro ferocire. Nam Episcopus Misnensis²¹ cuidam pastori in pago vicino oppido Wurzen, qui erat mandato Ducis Henrici adactus abolere impios abusum ceremoniarum et proponere suis puram Euangelii doctrinam, edixit

¹⁸ Vgl. CR 4, 714 (28. Dezember 1539, nicht 1541!): Sunt apud nos Hungari aliquot, qui ex patria propter crudelitatem expulsi sunt. Über Matthias Biro Dévay Enders 16, 7³; Weimarer Lutherausgabe Tischreden 6, Nr. 6516.

¹⁹ Andreas Engelhard, vgl. Enders 12, 145³; Nik. Müller in: Aus Deutschlands kirchlicher Vergangenheit, Festschrift für Theodor Brieger (1912), S. 89¹; Weimarer Lutherausgabe Tischreden 3 Nr. 3471. 3512.

²⁰ Melanchthons Famulus Johannes Koch, aus Ilsfeld bei Heilbronn, der ihm von 1519 bis zu seinem Tode am 3. April 1553 treu diente, vgl. Enders 13, 57².